

et latum media sulcum deducis harena. »

— « Qui dedit ergo tribus patruis aconita, uehatur
pensilibus plumis atque illinc despiciat nos? »

— « Cum ueniet contra, digito compesce labellum : 160
accusator erit qui uerbum dixerit « hic est ».

Securus licet Aenean Rutulumque ferocem
committas, nulli grauis est percussus Achilles
aut multum quaesitus Hylas urnamque secutus;
ense uelut stricto quotiens Lucilius ardens 165
infremuit, rubet auditor cui frigida mens est
criminibus, tacita sudant praecordia culpa.

Inde irae et lacrimae. Tecum prius ergo uoluta
haec animo ante tubas : galeatum sero duelli
paenitet. » — « Experiar quid concedatur in illos, 170
quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina! »